



LVdolphus à teneris annis in omni genere lite
rarum educatus fuit. Itaq; cum sua eruditio[n]e
& pietate reliquos suæ gentis superaret, Ratzen-
burgensis ecclesiæ prepositus ordinatus fuit. Eam
functionem ipse magna laude diu administrauit,
atq; intra & extra chorum reliquis exemplo fuit.
Cum itaq; Ioan. Preen episcopus an. 1435 obiijset,
Ludolphum omniū uotis eius loci antistes electus
fuit. Erat hic per omnia vir (ut Crantz. inquit) apo-
stolicus, moribus & uita ueram præferens episco-
pi normam. Fuit namq; pius, prudēs, humilis, man-
suetus, pudicus, sobrius, castus, iustus, & quietus,
neq; dolus aliquando est in ore eius inuentus & in
ter affligendam carnem suam spirituiq; subiisciendā cilicio ad nudam cutē ute-
bat. Quoniam autē ecclesia illa ēre alieno plurimū esset onerata, ipse sua fruga-
litate id redemit, atq; annuos prouentus multo maiores effecit. In primis autē
laudabile existit quod Ioannes certa stipendia pro futuris in sua ecclesia cano-
nicis ordinariet, ut illi iuuenes in publico aliquo literarum Gymnasio optimè
instituerentur. sciebat enim uiris doctis & non otiosis & uentri deditis in tem-
plo opus esse. Vnde etiam reuersos ipse examinauit, atq; pro cuiuscq; doctrina
& pietate officia assignauit. Cum hoc modo diu præfuisset tandem anno cir-
citer 1456 obiij & magnum sui desiderium apud omnes reliquit.